

# De Iesu puero nato

Autor(en): **Commer, Ernst**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie**

Band (Jahr): **15 (1901)**

PDF erstellt am: **13.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-761727>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

## ERNESTI COMMER

Theologi Vindobonensis olim Vratislaviensis

## DE IESU PUERO NATO

## ORATIO.

Habita Vindobonae in Universitate litterarum Rudolphina

a. d. XI. Kal. Ian. a. MDCCCCL.



Cum statuta Universitatis Litterarum Rudolphinae, auditores ornatissimi, quem usus fecerat, priscum morem celebrandi festum Nativitatis Domini in D. Stephani protomartyris aede sanxissent, omnes, qui ad ordinem theologorum pertinebant, in vigilia officiis vespertinis, ipso autem festo die tum missae maiori tum sermoni assistere consueverunt.<sup>1</sup> Qui cum mos tumultu protestantium civitati interiecto diu omitteretur, lege Kal. Ian. a. 1554. lata de reformanda academia ita restitutus fuit, ut rector ipse cum quatuor viris decanis ceterisque doctoribus et studiosis iuvenibus in eodem templo solemnes pompas ducere iuberetur.<sup>2</sup> Sermo autem latinus, in quem facultas theologica incubuit, olim a doctoribus vel baccalaureis, postea vero etiam ab uno e numero studentium habebatur, ad quod munus saepius praedcatorem e Societate Iesu de studiis theologicis et philosophicis benemerentissima eligebant.<sup>3</sup> Cuiusmodi sermones academici plerumque doctae dissertationes videntur fuisse, quarum argumenta quaedam nobis tradita a viro cl. Wappler, qui facultatis historiam conscripsit, exhibentur:<sup>4</sup> quae ad studia theologica priorum saeculorum ostendenda hic commemorari opportunum mihi videtur. Dixerunt de averso homine a Deo, converso ad hominem et in hominem Deo: de nato neodoctore Iesu. Aliae orationes inscribuntur: Princeps pacis: Foedus admirabile mundo restaurando initum, dum Verbum caro factum est: Maiestas sub servitute potentior: Exilium bethlehemiticum, novum humani generis regnum: Captiva ab amore maiestas: Lacrimae amoris rugientis in praesepe Dei-hominis: Verbum incarnatum, aenigma fide solutum: Fasciae triumphales homini-Deo victricibus in cunis ter

<sup>1</sup> Cf. Anton Wappler, Geschichte der theologischen Fakultät der k. k. Universität zu Wien. Wien 1884. p. 48 sq.

<sup>2</sup> L. c. p. 101.

<sup>3</sup> L. c. p. 178 sq.

<sup>4</sup> L. c. p. 179 sq.

fortunate triumphanti pro vinculo natalitio oblatae: Incarnatum Verbum arcano sub silentio explicatum: Nativitas regis coelestis, origo nascituræ salutis publicæ: Bethlehemiticæ theologiæ incunabula, seu de Verbo incarnato prima positio: Magnus in parvo Iesu Deus: Verbum caro factum, fidei divinæ pignus, ad religionem præcipuum, ad lætitiæ maximum: Verbum divinum in assumpta sibi natura hominis gloriosum: Foedus nuptiale Deum inter et hominem: Nascentis Dei-hominis in homines amor: Natus in Bethlehem Deus grande victoriæ nostræ augurium: Verbum in præsepio loquens victorias: Fasciæ amoris Deum inter et hominem: Mysterium a sæculis absconditum in carne Verbo revelatum: Veni, vici, seu gloriosus de suis hostibus a nato coeli terræque principe suo in mundum adventu reportatus triumphus: Tuba secretorum Dei: Naturæ humanæ in Verbo incarnato triumphus. Itaque theologi nostri, ut natalitium Christi diem colerent, ad annum 1783. usque<sup>1</sup> in suggesto primario urbis consistebant, dum collegium universitatis litterariæ Rudolphinum a præsentia inter sacra apud S. Stephanum celebranda demum anno 1873. decreto consistorii academici per maiora vota edito fuit absolutum.

Quam cum venerabilem consuetudinem mutatis in peius temporibus abolitam esse vehementer dolendum sit, nostrum illud sollemne, auditores, saltem in scholæ penetralibus, quantum fieri poterit, servandum esse iudico. Quare ad indicandam diem festivam lætissimamque, quæ vobis quoque otia affert prisca de lege, ultimam hanc labentis anni relectionem devovere proposuimus, ut restituto antiquitatis more atque amore novum quoque sæculum ea, qua par est theologis viris, oratione feliciter initiaturi simus. Itaque si lubet me audire, de Iesu puero nato, a quo sola salus humano generi orta est, disserere placet. Argumentum vero præbet locus Isaiaie summi vatis, qui adventum Servatoris divini procul videns annuntiavit, cum c. 9. v. 6. diceret: „Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis: et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.“<sup>2</sup> Quod vobis gratum et iucundum esse arbitror, cum et ingens solidumque sacrae doctrinae signum et religioni pietatique aemula virtute stimulos acres dare videatur. Vos igitur dicentem animo attento et benigno, ut facitis, quaeso audite.

Cum Domini adventus in exspectatione esset, descriptione universa imperii Romani ex edicto Augusti facta, cuius census

<sup>1</sup> L. c. p. 283.

<sup>2</sup> Cf. S. Thomas, In Isaiam prophetam expositio c. 9. (Ed. Parm. 1863. Tom. XIV. p. 468 sq.)

Cyrinus praeses in Syria et Iudaea provinciam obiit, Maria et Ioseph coniuges sanctissimi Nazaretho Bethlem in Davidis regis civitatem profecti sunt. Quibus peregrinis de via fessis cum nullus in diversorio locus relinqueretur, spelunca oppido vicina e rupe excisa, ubi pecora commorabantur, testibus S. Iustino philosopho et Eusebio scriptore, solum refugium dedit. „Pastores“ autem, ut refert S. Lucas c. 2. v. 8, tum „erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum“. Quam noctem ingruentem Sannazarius poeta elegantibus versibus descripsit, quos nemine vetante, ut puto, recitare licet:

„Tempus erat, quo nox tardis invecta quadrigis  
 Nondum stelliferi mediam pervenit Olympi  
 Ad metam, et tacito scintillant sidera motu:  
 Cum silvaeque urbesque silent, cum fessa labore  
 Accipiunt placidos mortalia pectora somnos:  
 Non fera, non volucris, non picto corpore serpens  
 Dat sonitum, iamque in cineres consederat ignis  
 Ultimus.“

Quo tempore etiam pacatus orbis totus quievit. Post tot bellorum saecula templum Iani in ipsa urbe Roma tertio ab Augusto sene clausum fuit, nam victoribus Romanis mundus imperio subiugatus in otia tuta fere invitus recessit. Hac igitur nocte media silentium altissimum terrae marique imponitur. O graviter desiderata et aliquando reddita hominibus desperatis nox felicissima, in qua salus mundi redintegrabitur. Te quidem Adam peccator cum Eva matre poenitente olim desiderabat; te patriarchae venerabiles, te vates divini sanctique reges ardente cupidine exoptabant; te gens Hebraea Deo quondam dilecta cum gemitibus clamabat; te genus humanum perditum flagitabat, omnesque te volebant, qui venturum Servatorem orabant: „Ostende nobis faciem tuam et salvi erimus.“<sup>1</sup> Nullius vero desiderium maius quam Virginis almae, cui cum virginitatis flore honor matris divinae ad Evae culpam reparandam tributus fuit singularis. Quid autem ea amplius desiderare potuit, quae sola ex omnibus Adae filiis et filiabus labem nefastam nunquam contraxit? Nam plena fuit omni gratia virgo ab Angelo salutata, cui gratiarum divinarum plenitudo a prima infantia ita copiosissime reddita est, ut nihil desiderandum relinqui videretur. Attamen „exspectans exspectavit“<sup>2</sup> ipsa quoque hanc noctem sacratissimam; quippe quae corde immaculato Dominum Deum patrum suorum hoc oratu vehementi sollicitaret „ostende mihi faciem tuam“, cum

<sup>1</sup> Cant. 2, 14. — Psalm. 79, 20.

<sup>2</sup> Psalm. 39, 1.

vultum humanum filii a sancto Spiritu concepti videndum toto humanitatis redimendae desiderio exspectaret.

„Ecce completa sunt omnia, quae dicta sunt per angelum de virgine Maria.“<sup>1</sup> „Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret“,<sup>2</sup> infans Deus sub matris corde absconditus amore victus est, neque amplius cunctari potentissimus ille valuit. Dum mater amorem tacitum sub pectore nutrit desiderio, visione beata ipsam Deitatem, quam intus gerebat, intellectu intuita est ac simul infantem Deum natum humi iacentem conspexit: maternus enim amor desiderando venit, vidit, vicit, qui de amore divino gloriosum reportavit triumphum. Nam qui omnipotens Sermo divinus vocatus venit a regalibus sedibus,<sup>3</sup> dum amoris summo miraculo Virgini suam divinam essentiam illapsu praebuit intelligendam, humanum quoque vultum matrem nequivit diutius celare. Tanta virtus amoris divini, quanta pietas inhumanati Dei erga matrem virginem. Qui filius cum bonitatem matris infinitam redderet, ut ait Albertus M., id eo maxime videtur probavisse, quod divinitatem quoque propriam clare videndam cum matris intellectu univit: unde glorioso illuminata lumine mater filium vidit mente totum, sicut ipse est. Etenim nihil matre propinquius illi filio, qui, cum principalis auctor gratiarum supra naturae modum elevatarum vi divinitatis suae esset, humanitate sua, quam a matre accepit, easdem gratias ministravit. Quanto autem, teste D. Thoma, aliquis magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii:<sup>4</sup> unde ipsa mater, quae sola ad fines deitatis propria operatione attigit, ut Caietanus dicit,<sup>5</sup> filium prae ceteris cognoscere debuit utramque eius naturam perfectissime intelligendo. Cum igitur ipse bonus filius carnem e matris sanguine purissimo mirabiliter acciperet, grati animi causa donum visionis beatæ ei reddidit, quo munere ipse semet sua divinitate cum ea coniungeret intime, quacum inhumanatus atque incorporatus re ipsa unitus fuit. Quam sententiam de beata deitatis visione Mariae in statu vitae mortalis aliquando concessa summo gratiae privilegio gravissimi et sanctissimi theologi tenent, quos inter satis est nominare Cyprianum, Hieronymum, Antonium, Albertum M., Bonaventuram, utrumque Thomam scil. Aquinatem et Villanovanum, Bernardinum, Dionysium Cartusianum, ne de aliis dicam. Itaque magister Vincentius

<sup>1</sup> Antiph. ad Magnificat Sabb. infra hebd. 3. adventus.

<sup>2</sup> Antiph. ad Magnificat Dom. infra octav. Nativ. Sap. 18, 14 sq.

<sup>3</sup> Antiph. ad Laud. Dom. 4. adventus.

<sup>4</sup> S. Thomas, S. theol. III. qu. 27. a. 5. cf. a. 1.

<sup>5</sup> Caietanus, Comm. in S. theol. II. II. qu. 103. a. 4. ad 3.



Ferre, vir sanus ac sapiens, „crediderim, inquit, ita esse certum, quod B. V. Maria Deum viderit per essentiam in hac vita mortali, quod nullatenus de hoc possit haberi dubium“.<sup>1</sup> Duplici autem miraculo rex omnipotens ancillam consolatus est, quo tempore ab ea natus est, et fecit ei secundum verbum suum.<sup>2</sup> Nam qui matris desiderium videndi Deum natum ex utraque parte perfecte replevit, alio ostento ex illaesa matre prodiit subito, quam nunquam dereliquisset, nisi ipsa desiderasset pro nobis orando, ut filius faciem suam hominibus ostenderet.

Atque ut pie meditati mihi, quid dicam, videtur, statim Maria posito genu procumbens Iesum recens natum prima adoravit: virgo humillima pedes pueri creatoris osculata est, ancilla Domini palmis, gratissima autem mater vultui filii oscula dedit. Accessit Ioseph quoque, pater nutritius, cum dulci tremore adoraturus, qui coram Mariae filio vices aeterni Patris paterna cura gerens ambo pignora virtute altissima quadam quasi obumbravit, unde futurus Ecclesiae patronus iure constitueretur. Angeli vero gaudium annuntiavere magnum cantantibus vocibus: „Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.“<sup>3</sup> Agite dum, auditores, „transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est“,<sup>4</sup> ut cum pastoribus, qui sacerdotes doctoresque Ecclesiae monstrant, a magistro veritatem omnem omnes discamus, quem fide plena adoremus.

„Parvulus enim natus est nobis“, quem Servatorem natum in natura nostra recepimus, teste S. Luca:<sup>5</sup> „Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.“ Sacramentum illud absconditum a saeculis in Deo perfectum ac manifestatum esse divinus infans in praesepe reclinans probavit. Qui verus homo Mariae Christiferae filius est suppositum illud, quod vocant personam, quod est Deitas ipsa: nam res, quae est homo natus, est res, quae est Deitas ipsa. Etenim bonum esse diffusivum sui iure dicitur. Ad rationem bonitatis, ut sic est et communiter fertur, pertinet communicare et diffundere semet absolute.<sup>6</sup> Verum quia in Deo omnis ratio boni existit, proprium

<sup>1</sup> Vincentii Ferre Hispani Ord. Praed. Commentaria scholastica in Div. Thomam. Tr. III. de visione Dei qu. XIV. § IV. (Ed. nov. Coloniae Agrippinae 1691. Tom. I. p. 603.)

<sup>2</sup> Luc. 1, 38.    <sup>3</sup> Luc. 2, 14.    <sup>4</sup> Luc. 2, 15.    <sup>5</sup> Luc. 2, 10 sq.

<sup>6</sup> Cf. Caietanus, Comment. in S. th. III. qu. 1. a. 1. §. In primo consequente. (Ed. Venet. 1588. Tom. IV. fol. 1<sup>vo</sup> K.) Petri Cornejo de Pedrosa Ordinis Carmelitarum († 1618) Commentaria in 3. p. S. Thomae Tom. II. Disp. 1. dub. 1. (Ed. Bambergae 1672 p. 9.)

erit huius summi boni omnibus modis, in quibus non involvitur aliqua imperfectio, cum aliis rebus se communicare: quare semet etiam cum homine communicavit ita, ut humanae naturae atque essentiae etiam ultimum subsistendi terminum redderet. Itaque amor excellentissimus, quem summum illud bonum erga creaturam exercuit, etiam propriam divinam personam secundum suam subsistentiam propriam, quam in semetipso possidet dominus, cum creatura sua communicavit; quare sibi Deo et creatae humanae naturae unam communem utrique personam fecit, ut creatura ipsa, id est homo, esset re Verbum Dei, quod Deus est ipse.<sup>1</sup> Deus igitur sibi creaturam humanam univit: quae quidem humanitas est res ad Deum allata, cuius Deus ipse terminus ultimus purusque<sup>2</sup> est, ad quem hominis essentia sistitur: qui terminus absque sui immutatione terminare aliud potest.<sup>3</sup> Assumpsit igitur divina persona humanam illam singularem Christi sui naturam veram integram et perfectam ad propriam subsistentiam divinam. Itaque homo non est factus Deus, sed Deus factus est homo.<sup>4</sup> Qui homo natus est vere in tempore a Maria virgine, cum nativitas sit via ad naturam humanam perfecte acquirendam, ut ipsa haec hominis natura, postquam a matre separata est, per se et separatim existat. Sed quia haec Christi humana natura ab initio in divinam personam assumpta erat, nunquam sibi relicta fuit ad separatim existendum; sed utique a primo instanti fuit natura Dei humana absque propria hominis subsistentia. Quam absentem humanam personam divina illa persona uberrime ita supplevit, ut totus ille Christus homo in humana sua natura constitutus esset totus Dei, ad cuius personam solam assumpta hominis natura pertinebat. Itaque homo ille singularis Christus recens natus in sola divina assumentis Dei persona subsistebat. Est igitur haec compositio hypostatica, quam vocant, vires omnium et creaturarum et creandarum rerum toto coelo superans, quod dicitur mysterium Incarnationis, in quo, ut Ecclesiae definitiones testantur, Deitas atque humanitas, Verbum et caro, unum tertium componunt, quod appellatur Christus vel Deus-homo.<sup>5</sup> Totum enim, quod in compositione eiusmodi vires naturales excedente invenitur, ex parte

<sup>1</sup> Caietanus l. c. §. In tertia consequentia. (1<sup>vo</sup> K. sq.)

<sup>2</sup> Cf. Caietanus in III. qu. 4. a. 2.

<sup>3</sup> Caietanus in III. qu. 1. a. 1. §. In resp. ad primum (fol. 2. D.).

<sup>4</sup> Cf. Collegii Salmanticensis *Cursus theologicus* Tr. 21. de Incarnatione Disp. 26. Dub. 1. (Ed. Lugduni 1679. Tom. X. p. 379.)

<sup>5</sup> *Xantes Mariales, Bibliotheca interpretum ad universam summam Theologiae Div. Thomae Aq. Venetiis 1660. Controversia XXII. c. II. Difficultas insignis.* (Tom. I. p. 494 sqq.)

creaturae est mutabile, non vero ex parte increata, quae mutari nequit, quod haec symboli ab Athanasio nuncupati formula patefacit: „sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus“. Nihil quidem Deitate completius invenitur: at si Deitatem ipsam conferre licet cum complexione illa, quae est Christus Dominus, tamen dicas partem quasi negativam, quia ipsa in conceptum severum revocata non est totum id, quod est ille Christus: quod idem dicendum videtur de humanitate quoque a Deo assumpta, quae, si in seipsa consideratur, plus quam completa natura est, cum tamen ambae instar partium Christum Dominum compleant atque conflent. Quod e Deitate atque humanitate in Christo componitur, ea tantum ratione perfectius quam vel Deitas sola vel sola humanitas appellandum videtur, quia ad plures formas perfectionis extenditur, quamvis ipse Deus omnes perfectiones vere contineat.

Censet autem D. Thomas theologorum longe doctissimus cum gravioribus auctoribus, quorum numero est sapientissimus Cardinalis Caietanus, qui profundius ceteris mentem Doctoris angelici scrutatus est, Deum sine ulla informationis, quae dicitur, virtute humanitatem Christi assumptam fecisse existentem quoque, cui semet per modum existentiae formalis univerit, ut dicunt scholastici, quorum sermonem usu probatum non sine philosophiae fideique purioris detrimento ad Tullii normam revocari apud doctos viros constat. In universum autem existentia, qua res aliqua perfecte e nihilo atque e causis sisti dicitur, saltem si genus causae materialis attenditur, pendet ab eo, quod per eam existit. Quam naturalem dependentiam a re existente in ea existentia, quae Christi fuit, separatam esse docemur. Etenim forma supernaturalis, quae vocatur, non suapte natura, sed pro sua libertate secum alterum unit eique ipsum Esse impertitur: quare non oportet, talem formam, qualis existentia Dei est, finiri ac pendere e materia aliqua vel ex agente, cum illa Deitas ipsum primum agens sit, quod suae voluntatis arbitrio semet alteri rei unire potest, ac si forma esset; ut sic absque ulla informatione rem alteram reddat substantiam. Sic igitur Deitas absque informatione humanitatem Christi cum singulis partibus facit substantiam eo, quod humanitatem illam singularem severo sensu existentem reddit. Deus igitur re vera humanitati Christi unitus est tamquam existentia formalis et supernaturalis et voluntaria; quare etiam divinam illam existentiam huic homini praeunitam esse tamquam formale principium existentis hominis, Durandus quoque docuerat. Formalis vero existentia quasi fundamentum tutum illi humanitati substruitur ad operandum; nam Aristotele auctore agit unumquodque, quatenus



est in actu, patitur autem, quatenus est in potentia. Operae igitur Christi hominis vere a sua humanitate eliciuntur, vereque humanae quoque sunt operae, quamvis a persona divina agantur, quia sunt operae huius hominis, qui existit: cuius tamen existentia aequae ac persona est tantum divina, quare ipsa eius divina existentia variatis hominis operis nullo modo mutatur.<sup>1</sup> Vere profunda doctrina atque miranda, qua vera et propria Christi humanitas optime servatur, dum ipse Christus et in persona et in existentia ita pure divinus illustratur, ut omnes eius actiones atque opera divinum Incarnationis mysterium probent, quo humana natura perfecta perfecte quoque Dei facta atque intime deificata videatur, quod solum Christum servatorem adorandum decet.

Itaque Christus Deus est infans humanus, qui in praesepti iacens viator est simul ac beatus, qui finem ultimum comprehendit. Qui iam a primo conceptu totus sui conscius fuit, intelligens semetipsum esse verum Deum atque hominem verum. Non potuit dubitare de suo divino, qui neque sui humani expertus esse potuit, quin semetipsum sentiret et id, quod egomet dicitur, cognosceret. Perfectus autem homo cum esset, qui fuit perfectus Deus semet intelligens, humano quoque animo semet nosse potuit visa sua ipsius essentia divina, quippe quae re esset eadem cum sua persona divina, quae sola fuit in homine illo. Ipse enim humanatus fuit plenum illud gratiae et veritatis, in quo omnes thesauri scientiae et sapientiae absconditi fuerunt. Qui parvulus natus est non sibi tantum, sed nobis quoque, quos verum doceret. Cum igitur modus infantis servaretur, tamen ipse animus parvuli humanus visione divinitatis ad eum pertinentis repletus et infusa angelorum scientia praeditus tum res praeteritas tum praesentes tum, quae futurae essent, cognovit, unde se ipsum quoque libere pro nobis passurum moriturumque iussu Patris clare et distincte praesciret et praevideret.

Qui humana quidem propria natura coepit etiam carne pati, ut redemptionis nostrae mysteria exsolveret; nam et anima parvuli peccatis totius humani generis visis summa tristitia perfundebatur, corpusculum autem delicatissimum doloribus premebatur. Quae cum passio efficaciam nullam consequeretur, nisi virtute divinitatis adiuvaretur, propterea vocatum est nomen eius Iesus:<sup>2</sup> ipse enim salvum facturus erat populum suum a peccatis eorum. Qui etiam Christus in signum unctionis sacratissimae appellatus est, cum humanitas illa pueri a proprio sancto Spiritu, qui a persona huius nati divina exit, sanctitatis unguento substantialis oblita esset

<sup>1</sup> Cf. Xantes Mariales l. c. p. 495 sqq.

<sup>2</sup> Matth. 1, 25.

ad exercenda tria ex unione illa hypostatica cum divinitate sibi competentia officia. En igitur sacerdotem summum in cunis repositum, mediatorem natum inter Deum et genus humanum, qui tunc semet ipse in holocaustum offerebat. En patientem pontificem, qui sacrificium crucis sanguinisque pretiosissimi effusionem cupiebat, agnumque innocentissimum, qui tollit peccatum mundi. En regem maximum, quo alter iustior nec pietate nec maior bello fuit, parvulum solio pauperrimo fultum, penes quem legum potestas veneranda est. En prophetam quoque veri sive doctorem altissimum, magistrum unicum, qui e sapientiae sede, quam in matris gremio posuit, gentes docebit.

Quidni auditores? Iesus puer recens natus est doctor philosophiae universae ac summae theologiae, non promotus quidem ac proclamatus periculo facto, sed totus doctor natus ac ratus, unus superans se ipso universitates studiorum tacendo ac patiendo. Qui utriusque logicae naturalis et artificialis auctor ipse simul scientia atque ars est, et eiusdem logicae docentis utentisque unus idemque re non habitus quidem sed actus purissimus. Qui, quae primus condidit, praecepta logicalia docet, immo se ipso doctrinam veri confirmat exemplo. Quarum legum praebet usum quoque, prius mentes movendo sic ad cognoscendum, ut ipse concurrat efficienter cum syllogismo salutis construendo, quippe qui simpliciter necessarius ad bene vivendum. Naturalis quoque philosophiae magisterium infans tenet, qui mundum condidit ex nihilo rerumque ordinem fortiter et suaviter composuit exegitque et praeter cursum naturae etiam mirabilia valet agere. Nonne mathematicas quoque scientias homuncio tradit, qui omnia in mensura et numero et pondere disposuit?<sup>1</sup> Metaphysicam vero monstravit altissimis causis, quippe qui seipsum primam causam omnium virtutemque divinam suam perfecte noverit. Ethicam quoque patiendo ostendit; cum mitis esset humilisque corde, mortem pro veri doctrina obivit relictis iuris divinissimi praeceptis. Sed cum ea, quae Dei sunt, nemo nisi divinus ipse Spiritus scrutetur, filiulus Mariae sui perfectissime conscius summus quoque fuit theologus, immo rei theologicae summa brevis factus est.

Itaque Iesus puer natus ipse summus doctor et scientiarum dominus. Cuius aula statuitur in animalium caula, cathedraque magistri ponitur in praesepio, animas servandas ad stabulam allicit, quibus ad pabulum dulce capiendum semet ipsum obiicit; et quos homines invincibili gratia praemovet, eos quoque beatos in gloriam promovet. Ab infante tenero, qui solus oriundus a Patre fecundo,

<sup>1</sup> Sap. 11, 21.

facundo silentio mundus erudiendus est. Dormit, ne vocet clamando, nec tonat terrendo potens, sed flendo sonat ac docet amando. Qui mitis et humilis in stramento iacet natus et in sacramento collocatus tacet, amatus solus ipse puer Iesus placet.

„Et Filius datus est nobis.“ Etenim parvulum natum etiam in divina reverentia recepimus, cum ipse divinitatem possideret. Dei quidem Filius naturalis nobis datus est, cuius aeterna nativitas, unde a Patre solo per intellectum generatus est, temporali facta nativitate, cum a matre sola sine patre humano gigneretur, nunquam intermissa sine fine perdurat. Idem igitur, qui filius Virginis, Filius Dei vivi, quocum principio intime coniunctus est, emanatione intellectionis immanenter procedit in eadem Patris natura numeranda. Processit enim e cognitione Patris perfectissima, qua Deus cognoscens totam suam essentiam intuetur atque omnino comprehendit beatusque redditur. Quam cognitionem sui ipsius Pater divinus ipso actu intelligendi aeterno quodammodo in penetralibus divinae mentis secum loquitur. Quae actio infinita divinae intellectionis vim producendi verbum internum mentis possidet, quod ipsum est perfectissimum atque infinitum repraesentatque omnia a Deo cognita. Quod Verbum divinum dicitur esse, dum intelligitur: intelligitur autem, dum Deus intelligit. Cum vero quidquid in Deo est, ipsum Esse re vera dicendum sit, etiam Intelligere Dei et Intelligi sic est Esse Dei: unde Verbum illud divinum est ipse Deus. Qui vero Filius ex hac fecunda Dei cognitione procedit, tamquam verbum cogitantis et loquentis Patris divini ab eo in eadem divinitate generatur subsistens. Quare non alia origine Filius Dei et alia Verbum eius est, sed una tantum ratione simul est Filius Verbumque.

Quod Verbum divinum dicentis Patris simillimum instar imaginis absolutae ab aeterno iam in principio erat, a quo exiit in se subsistens, quamquam in intellectu divino apud Patrem loquentem manet. Ipse autem Deus erat Verbum cum Patre consubstantiale, in cuius eadem unica natura subsistit, cum Esse Dei sit eius Intelligere et Intelligi. Quod Verbum aeternum, quia est Patris sapientia operativa, ratio quoque est rerum omnium a Deo factarum; in quo coeli firmati sunt, in eiusdem virtute Deus portat omnia. Omnia igitur per ipsum Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod extra Verbum illud est in rebus: nam omnia ambit ea conservando. Quod vero factum est, in ipso Verbo vita erat: rationes enim rerum in sapientia illa Dei spirituali modo existentes ab aeterno, quibus res ab ipso Verbo factae sunt, ipsae quoque vere vita sunt; nam in Deo, qui intelligit sapienter, ipse intelligendi actus est Dei essentia ac vita:

unde quidquid in Deo est, non solum vivens sit, sed ipsa vita quoque. „Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis: et vidimus gloriam eius quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.“<sup>1</sup>

Qui unigenitus Patris Filius datus est nobis amore: qui amor cum sit ipse primum donum Dei, per quod omnia dona gratuita dantur, Filius est datus nobis per donum illud, quod est ipse sanctus Dei Spiritus, qui a Patre per Filium tamquam amoris impulsus procedit. Unde intelligitur, quod scriptum est: „Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.“<sup>2</sup> Sed quamquam Filius nobis datus sit, tamen non in filium sed potius ut frater nobis est datus et Servator noster constitutus eiusdem nobiscum humanitatis particeps. Ipse ergo, qui datus est nobis amore, Filius prodigus ille divinus, abiit a Patre emissus in longinquam regionem ad perditos fratres quaerendos. Et ipse, qui actus purissimus ab omni potentialitate alienissimus est, cum in summo immaterialitatis Deus sit constitutus,<sup>3</sup> tota sua activa potentia, quam solam possidet, tantum ad patiendum pro nobis usus et amoris cumulo videtur fere abusus esse. Itaque maximum miraculum, quod divini amoris est speculum clarissimum, angelis atque hominibus stupendum spectaculum factum est, quod spirat amorem, sed nunquam exspirat.

„Et factum est principatus super humerum eius.“ Per crucem enim, quod divinae passionis instrumentum maximum fuit, principatus Christi ad altissimum consurrexit. Qui principatus supra dominatorem positus est, unde mundum superavit. Cuius regnum, quod in aeternum adaugetur, et magnitudine et nobilitate et potentia multiplicatum fuit: omnes enim reges servient ei et obedient ei, et pacis non erit finis. „Et vocabitur nomen eius admirabilis,“ quo sapientia divina significatur, cuius opera cuncta sunt mirabilia. Quod ad humanam eius naturam attinet, „consiliarius“ appellatur, quia ad praecepta consilia quoque addidit optima, ipse „Deus fortis“, qui fortitudinem et divina potentia et humana virtute probat. Sed „pater futuri saeculi“ idem dicitur, quia, cum Deus sit, ex affluentia bonitatis filios adoptivos quoque in gloriam aeternam generavit. Qui etiam „princeps pacis“, quia homo est mediator natus ad negotia hominum apud Deum absolvenda: „ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.“<sup>4</sup>

<sup>1</sup> Ioan. 1, 14.      <sup>2</sup> Ioan. 3, 16.

<sup>3</sup> S. Thomas, S. th. I. q. 14. a. 1. Cf. Ferre l. c. Tr. II. qu. III. § IX. (Tom. I. p. 178.) Xantes Mariales l. c. Controv. XXXVIII. c. 4. (Tom. II. p. 524.)

<sup>4</sup> Ephes. 2, 14.



Itaque Iesus puer natus pater futuri quoque saeculi, quod incipit, verissima ratione censendus est, qui curam de Ecclesia sua, cui datus est, optime adhibebit. Ipse enim, quia homo natus, Ecclesiae vim existendi dedit, cuius existentiam instantia sua reali per S. Eucharistiae mysterium ad finem usque saeculorum continuat. Aeternus enim ipse Dei Filius, parvulus natus nobis et datus, omnia ambit saecula. Considerate autem, quaeso auditores, conditionem rerum tristissimam ubique terrarum factam. Ubique crux Christi despicitur. Fide plerumque perdita abunde est iniquitatis, quod mysterium ab initio generis humani e primo peccato derivatum est. Pauperes opprimuntur; divitiae cum ab omnibus quaerantur nimiae, homines durissimis laboribus in servitutem redacti sunt. Bella premunt hostilia; perturbantur maxima regna, reges ipsi palam occiduntur. Nulla veneranda auctoritas, cui obtemperetur, videtur relicta. Suum cuique non redditur amplius, sed suam quisque utilitatem prae publica privatam intendit. Nationes orbis superbia captae ordinem rerum summa invidia commovent. Torquetur patria Austriaca atque Hungarica conspiratis partibus factionum. Ipsa Roma, mundi caput, captum est ab hostibus. Qui vices gerit Christi in terris, carcere detentus aurato ab imperio benefico exercendo impeditus est. Scientiarum autem progressus fictus in errorem declinavit veritatis luce divina destitutus. Artium quoque liberalium usus ad luxuriam pessimam secessit. Medius fidius! incidimus in ferrea rei publicae tempora, ac vereor, quorsum ea casura sint.

Attamen parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis: qui Iesus infans in praesepe positus nostra quoque fecunda culpa tempora praevidit provisor omnium. Nec tanto malorum prospectu expavit: nam fortior mundo pusillus ille divinus Mariae filius, qui futuri quoque saeculi pater est pacisque princeps. Cuius arx Vaticana in sede Romana, ubi ad S. Mariam maiorem reliquias praesepeis condi voluit, cum in eadem urbe Ecclesiae principatum constituisset, iterum mundi Capitolium manifestabitur. Vix senex ille pontifex, huius infantis plena potestate atque auctoritate successor legitimus, philosophiam christianam, quae perennis est, auspiciis Aquinatis restauravit, theologiae studia eodem magistro saniora et profundiora ad incrementum ceterarum scientiarum fideique propagationem fauste redintegavit. Infallibili oraculo voceque Iesu pueri nati vicaria ad orbis populos pacem locutus est. Fidem vero omnes etiam inviti clamant infideles homines, quippe qui miseri facti infelicitatem perditio Deo senserint. Ecclesia autem, quae adhuc viget vigore Iesu pueri nati, nunquam peribit. Ipse enim admirabilis sapientia veritatem omnem nos docebit,



consiliarius praecepta salubria temporibus nostris inveniet, iterumque Deus ille fortis genus desperatum servabit. Ipse igitur pater futuri saeculi bene providebit, ipse princeps pacis tranquillitatem mari imperabit, „Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula“.<sup>1</sup>

Salve puer nobis nate,  
Dulcis Fili nobis date,  
Pacis auctor peramate.

Te loquente quis disertus?  
Te tacente quis est certus  
De salute, quis expertus?

Infans colitur regalis,  
Adoratur immortalis  
Proles matris virginalis.

Duris in cunis iacentem  
Veneremur sapientem  
Et amare marem flentem.

Fremet hilaris asellus,  
Bosque mugit, et tenellus  
Ipsis interest puellus.

Fac nos tuos quaeso totos,  
Cordi tuo nos devotos,  
Servos semper habe fotos.

Tamen docet alta voce,  
Qui nos suos ab atroce  
Nece servat: immo doce!

Vale vale, puer flave,  
Iesuline, sane fave  
Nobis, Fili dulcis ave! — Dixi.

<sup>1</sup> Hebr. 13, 8.

